

re volumus, facile alteri noxam inferre possumus. LEVIUS tamen malum, ac facilioris depulsionis est, si unicum tantum viscus afficiatur, vel etiam duo; dispositioq; ista non altas in iis radices egerit; affectusque eorum non ita graves sint, & in superficie quasi hæreant. Ita enim Lien, aut epas, levi aliquâ intemperie, vel obstructione affecti, facile ad integritatem reducuntur: ventriculusq; aliquanto debilior, confortari non ita magno labore potest.

MESENTERII verò, ac OMENTI vitia, graviora multò sunt; præcipuè postèrioris, ad quod medicamentorum vis facillè penetrare non potest. In genere verò Subjectum si consideres, VIRI mulieribus minus periclitari in hoc dicuntur affectu. Ætatis ratione, juvenes & viri, senibus minus difficulter laborare ex hoc dicuntur. Ex quibus omnibus facile concludi potest: quo leviora ac pauciora sint symptomata, eo mitius, vel deterius esse malum. Et cum nonnunquam in maniam degenerare queat; morum mutatione illud facile cognosci potest; si ex mœstitiâ ac mœrore, ad hilaritatem transeant, risumque interdum misceant: quod calidorum, omnium, ac vini usu interdicto, præcaveri poterit. Nec minor metus est, ne minera ista vel vaporibus malignam aliquam qualitatem adeptis, copiosèque ad cerebrum delatis, vel cruditatibus auctis, narcoticamq; vim conceptis: in EPILEPSIAS, CONVULSIONEM vel APOPLEXIAM degeneret; præsertim diuturnitate mali valdè debilitato cerebro.

LETHALE verò per se quidem malum non est, nisi ex acci-  
denti, aliis advenientibus prædictisq; Symptomatibus, tale fiat, ut  
*Hippocr. 1. d. morb. f. 2. r. 2. habet.*

## APHOR. XII.

Curatio ritè ac secundum Methodum medendi instituta, ex indicationum seriè adornatur, ac juxta eam perficitur.

*χολιον*

Longam sæpe CAUSARUM in morbis seriè dari, supra dictum; eas verò omnes eo ordine quo sese insequuntur, removendas esse, curationis jubent leges: semper ab eâ incipiendo, quæ reliquas  
mover,